



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXV. Quòd non est securitas à tentatione, in hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

contra spiritum, bella mouet intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum.

4 Sed tu, qui dominaris potestatis maris, & motum fluctuum eius mitigas, exurge, adiuua me. Dissipa gentes, quæ bella volunt: contere eas in virtute tua: ostende quæso magnalia tua, & glorificetur dextera tua: quia non est spes alia, nec refugium mihi, nisi in te Domine Deus meus.

Ps. 88.

Ps. 72.

Ps. 30.

CAP. XXXV.

Quòd non est securitas à tentatione, in hac vita.

FILI, numquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, & à dextris & à sinistris impugnaris. Si ergo non vteris vndique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. Insuper, si non ponis cor tuum fixè in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertinere

Iob 7.

2 Cor. 6

gere

gere beatorum. Oportet te ergo viriliter omnia pertransire, & potenti manu vti aduersus obiecta. Nam vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miseria.

2 Si quæris in hac vita requiem, quomodo tunc peruenies ad æternam requiem? Non ponas te ad multam requiem, sed ad magnam patientiam. Quare veram pacem, non in terris, sed in cælis: non in hominibus nec in ceteris creaturis, sed in Deo solo. Pro amore Dei, debes omnia libenter subire, labores scilicet & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, necessitates, infirmitates, iniurias, oblocutiones, reprehensiones, humiliaciones, confusiones, correctiones & despectiones. Hæc iuuant ad virtutem: hæc probant Christi tyronem: hæc fabricant cælestem coronam. Ego reddam mercedem æternam pro breui labore, & infinitam gloriam, pro transitoria confusione.

3 Putas tu, quòd sèper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non semper habuerunt tales, sed multas grauitates, & tenta-

nones varias, magnasq; defolationes. Sed patienter sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo, quàm sibi: scientes, quia non sunt condignæ *Rom. 8.* passiones huius temporis, ad futuram gloriam promerendam. Vis tu statim habere, quod multi post multas lacrymas & magnos labores, vix obtinuerunt? Exspecta Dominum, viriliter *Ps. 26.* age, & confortare: noli diffidere, noli discedere: sed corpus & animam expose constanter, pro gloria Dei. Ego reddam plenissimè: ego tecum ero, in omni tribulatione.

CAP. XXXVI.

Contra vana hominum iudicia.

FILI, iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudicium, vbi te conscientia pium reddit & insontem. Bonum est & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humili cordi, & Deo magis, quàm sibi ipsi confidenti. Multi multa loquuntur, & idè parua fides est adhibenda. Sed & omnibus satis esse, non est possibile. Et si Paulus omnibus studuit *1 Cor. 9.*
in